



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 11. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum
me fecit. v. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 9. *Sciens autem Iesus ait illis: quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. v. 10.*

Sciens vidensque Iesus murmuraciones discipulorum suorum, non voluit se continere, quo minus defenderet bonum opus increpando, & insciam & malevolentiam discipulorum erga se Dominum: dixit itaque: *quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me*, quasi diceret, quid turbamini? quid scandalizamini? quod hæc mulier me pretioso unguento unxerit, bonum opus fecit, placent mihi, nec vobismet displiceret, si vestrae personæ esset impensum, sane non murmuraretis. Iam vero me permittere satis debebat esse vestro sapiendo iudicio: nolite ergo falso indicare, ne iudicemini, nolite invidere, ne peccetis in Deum vestrum:

O Domine, da mihi hanc gratiam, ut proximo nunquam invideam bonum quod habet aut accipit: sed & nunquam factum eius male interpreter, sed potius semper exculem nimirum ipsum non habere intentionem illam malam, quam forte alius malevolentia ductus ex facto eius concipere posset.

§. 10. *Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. v. 11.*

Argumentum aliud ponit ipsis ob oculos ad sedandam indignationem eorum & invidiam, deductum ex morte sua, quasi diceret: quando quis iam iam est moriturus non solent eiusmodi hominem alij affligere: ergo nec contra me vos debetis conqueri de hac muliere, quæ modo ipsimet Domino benefacere voluit. Domine forte id est argumentum mortis tuæ, quod tu separari velis à nobis, lux nostra, salus nostra, in quo agitur vivemus, illuminabimur, salvabimur, si tu discesseris à nobis?

Quis non moveretur ad ea verba Christi, quod vel saxeum cor non mollesceret, ubi considerat quod delitiæ æternæ se deserant! Ah mi Jesu nunquam separari velis à me, sive in morte, sive vita, sed æternum maneam tecum, te contemplando, te fruendo, tibi ubique & semper serviendo.

§. 11. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. v. 11.*

Pergit excusare mulierem à consuetudine Iudæorum: quorum mortua corpora solebant inungi, itaque dicit, hæc corpus meum prævenit unguendo sepulturam, brevi enim moriturus sum, ideoque hæc præstat officium mortuis debitum, quod mortuo fortasse impendere non poterit, vel non audebit. Igitur vos, ô mei discipuli, peccatis hanc calumniando quasi male fecerit in me effundendo hoc unguentum.

Domine, quidquid sum, quidquid habeo, aut possum totum sine ulla contradictione aut exceptione, totum, inquam, fundo lubens pro te, totum id tibi consecro, deo voo in corpore & in anima, extra & intra, totum do & reddo tu accipe me & omnia mea, sicut accepisti unguentum hoc ab hac persona, atque utinam posses maiori cum liberalitate, amore, lacrimis cordis & corporis me offerre! ne igitur despicias manus meum, licet à peccatorum maximo offeratur.

§. 12. *Amen dico vobis ubicunque predicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur & quod hac fecit in memoriam eius. v. 3.*

O Discipuli! opusne est ut Christus tantis confirmet mulierem hanc bene fecisse, dicendo *Amen*, & comminando, quod etiam si vos modo traducatis factum eius, tamen alii in toto mundo sint laudaturi post mortem suam, hanc mulierem non alia, quam sancta intentione hoc unguentum effudisse in caput Iesu!

Ah quantum molis est inducere hominem ad credendum! ipse Dominus & Deus ipsorum dicebat, & illi tardierant ad credendum. Ah, mi Deus, quoties te intus & extra clamantem audiui & audio, & tamen vix induci possum, ut credam verbis tuis, & inspirationibus sanctis, ut vel relinquam ad momentum iniquitates, & iniquum propositum meum. Tu doces clare, tu inspiras, tu moves varijs efficacibus & terribilibus argumentis cor meum, & tamen non moveor ad consentiendum tibi quasi non ita esset, uti inspiras. Ah Domine doleo, quod non magis huc usque voluntatem meam tuis verbis & sanctis inspirationibus submiserim: Commove potenter divina virtute tua ex hac hora cor meum, quod tibi uni presento, ut ijs assentiar, quæ proponis, sunt enim omnia suavia, sana, salubria & nulli nisi amentium aspernanda.

§. 13. *Tunc abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes Sacerdotum & ait illis. v. 14.*

Infidus discipulus, incredulus, obstinatus, amarus, ad hæc verba Christi surgit & abire à Christo Domino suo ad similes sibi infidos, incredulos, obstinatos, avaros principes Iudæorum non valens perferre excusationem Christi pro muliere hac, sed permanens in invidia sua & opinione propria, cogitat quomodo se vindicare possit, & hæc & suum suppressere magistrum, ut ipse perveniat ad divitias, ad quas avare inhiabat, unde se insinuat adulator & proditor apud Principes mundi, qui terrenis intenti cælestia respuebant sicut ipse.

De